

adest inspiratio. Tunc siquidem 1° voluntas semper efficaciter movetur ad loquendum vel scribendum ; 2° intellectus semper efficaciter illustratur, ut ea omnia et ea sola concipiat, quae Deus vult voce aut scripto exprimi ; 3° homo, in scribendo aut loquendo, semper efficaciter dirigitur ut nihil omittat et nihil addat ; 4° demum, habet divinam assistentiam, ut loquendo aut scribendo, ea seligat et adhibeat verba, quae apte atque infallibiliter exprimant sensa divinitus concepta ; quamvis ordinarie non talia singulariter et exclusive verba ei suggerantur.

Hinc 1° inspiratio, quamvis includat revelationem, prout revelatio est locutio Dei formalis, non tamen semper jungitur cum revelatione, prout revelatio acciperetur pro manifestatione veritatis antea ignotae. Et revera inspiratio dari potest pro veritatibus jam notis. Aliunde, revelatio potest existere sine inspiratione ; quia non est essentiale ut revelatio caeteris manifestetur ; aut, si manifestatur, ut id fiat via inspirationis.

Hinc 2° non est essentiale inspirationi, ut viro cui conceditur usum facultatum naturalium auferat. Imo, generaliter loquendo, usus ille relinquatur, homoque remanet liber ac sui compos ; aliter tamen contingit in quibusdam extasibus propheticis.

Hinc 3° inspiratio hominem essentialiter non eximit a labore, quem quisque in loquendo vel scribendo sustinere debet. Ipsi Scriptores sacri aliquando testati sunt, se rerum quas narrant notitiam aut ordinem non sine labore comparavisse, aut ex aliorum libris (II Machab. II, 24, 27), aut ex aliorum relatione (Luc. I, 3), aut ex propria experientia (Joan. XIX, 35).

Hinc 4° nec videtur essentiale ut vir inspiratus suae inspirationis conscientiam habeat ; Deus siquidem propriam operationem potest non patefacere homini eam recipienti ; quamvis, juxta auctores, id nonnisi extraordinarie contingat.

QUAESTIO III^a

Quinam sint Libri divinitus inspirati ?

(Vide Mazella : *De virt. inf. n. 902... 913.* — Franzelin : *De Script. sect. 1, cap. 1, th. 1^a ; c. 2, p. 321...347 ; sect. 2, c. 1 et 2, p. 347...454.*)

10. Resp. Catalogus Librorum, qui ut divinitus inspirati habendi sunt, vocatur *canon* ; quae vox latine significat *regula*, et ideo adhibetur pro Libris sacris designandis, quod in iis norma credendi objectiva et remota, nempe verbum divinum, formaliter contineatur.

Conc. Trid. Sess. IV, de Librorum sacrorum canone dicit : « Sacrorum Librorum indicem adscribendum « censuit (Synodus), ne cui dubitatio suboriri possit « quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. » Dein, enumeratis singulis Libris in editione Vulgata Bibliorum contentis, concludit : « Si quis autem Libros « ipsos, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia « catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata « editione habentur, pro sacris et canonicis non sus- « ceperit... anathema sit. » Quam definitionem renovat et complet, ut vidimus, conc. Vatic. Praeter hos Libros, nullus est de quo authentice constat fuisse inspiratum.

Inter Libros quos recensuit Tridentina Synodus, non omnes eadem semper unanimitate habiti sunt ut certo sacri; hinc distinctio inter Libros *protocanonicos* et *deuterocanonicos*. Priores dicuntur, illi de quorum divina auctoritate nulla unquam fuit in Ecclesia dubitatio; posteriores, illi sunt de quorum divina auctoritate fuit aliquando apud quosdam in Ecclesia sententia anceps.

Inter textus deuterocanonicos numerantur:

1° Ex veteri Testamento: libri Baruch, Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, primus et secundus Machabaeorum.

2° Ex novo Testamento: Epistolae Pauli ad Hebraeos, Jacobi, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Judae, et liber Apocalypsis.

3° Partes quaedam Librorum sacrorum, nempe: hymnus trium puerorum, apud Danielelem (III, 24...); historia Susannae, apud eundem (XIII); historia Beli et Draconis (ib. XIV); septem postrema capita libri Esther (a c. X, 4, ad c. XVI, 24); partes nonnullae Evangeliorum, quae in quibusdam codicibus exciderunt, videlicet: apud Marcum, cap. XVI, a versu 9 ad finem; apud Lucam, historia sanguinei sudoris Jesu Christi (XXII, 43...), et apud Joannem, historia mulieris adulterae (VIII, 2... 12).

At, horumce textuum deuterocanonicorum canonicitas certo constat, tum concilio Tridentino, tum Traditione.

1° Constat *concilio Tridentino*.

In illo enim deuterocanonicis textus protocanonicis omnino aequiparantur; quia Synodus, ut ipsa ait, « omnes libros tam veteris quam novi Testamenti,

« cum utriusque unus Deus sit auctor..., pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur ». Dein, eos enumerat sine ulla distinctione dignitatis, et concludit: « Si quis Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. »

2° Constat *Traditione*.

Nam — a) Ex monumentis historicis, retrogrediendo a saeculo XV ad IV, palam fit praecipuos canones passim celebratos hosce Libros cum caeteris integros continere. — b) Idem Libri promiscue citantur cum protocanonicis sub his formulis: *Scriptum est, dicit Scriptura sacra, dicit Scriptura divina, dicit Spiritus sanctus in Scriptura*. — c) In veteri latina editione continentur integre omnes et soli Libri quos memorat canon Tridentinus. At latina illa editio exhibet certe Libros qui erant in communi et publico Ecclesiae usu. Quo posito, supponere non licet aliquem ex his in hac editione, temporum decursu, insertum fuisse, de cujus auctoritate adfuisset ratio dubitandi. Tunc enim episcopi tantae innovationis rationem quaesiissent, et hujus rei memoria superesset, quae tamen nulla exstat.

QUAESTIO IV^a

Quisnam Scripturae sacrae textus divina gaudeat auctoritate?

(Vide Mazella: *de virt. inf.*, n. 992... 1010. — Franzelin: *de Script.*, sect. 3, p. 454... 501.)

11. Resp. Quemadmodum nihil prodesset scire Scripturae sacrae Libros esse divinitus inspiratos, nisi

palam nobis fieret quinam sint illi Libri ; sic, parum proficeret illos Libros cognoscere, nisi inter varios horumce Librorum codices qui passim proferuntur, compertum esset quinam fideliter exhibeant res et sententias quas Scriptores sacri in suis Libris consignerunt. Non enim nobis datum est codices originales, seu, autographos, perlegere, cum ii codices ad nos minime pervenerint ; sed utimur apographis (gallice : *copies*), iisque plerumque in aliam linguam scriptis. Ergo necesse est ut securi simus de horumce apographorum conformitate cum codicibus originalibus.

Haec conformitas exemplarium Scripturae cum originalibus codicibus vocatur *authenticitas*, seu potius, *authenticitas*; vox enim *authenticum*, a graeco sumpta, significat *auctoritate munitum*, et jurisperiti *authentica* vocant scripta vel instrumenta quae auctoritatem habent, seu, fidem faciunt in iudicio. Theologi vero hac voce utuntur, ad designanda scripta quae sacrorum Librorum auctoritate pollent.

Si ageretur de codicibus originalibus, illorum auctoritas diceretur *authenticitas originalis*. At agitur nunc, ut patet, de *authenticitate conformitatis*, quae authenticitatis originali juncta, seu, ubi refertur ad scriptum originale vere inspiratum, dat, sive apographo sive versioni, auctoritatem divinam.

Authenticitas conformitatis est vel *absoluta*, seu, omnimoda, ita ut existat etiam quoad res et sententias levioris momenti; vel *respectiva*, seu, partialis, quae ad omnes res et sententias se non extendit; et haec major aut minor concipitur.

Insuper, authenticitas spectata in se, id est, in ipsomet facto conformitatis quo constituitur, dicitur *intrin-*

seca; spectata vero in medio quo innotescit, dicitur *extrinseca*.

Authenticitas *extrinseca* est, vel *publica*, seu, *judicialis*, et sic vocatur, quando manifestatur iudicio publico auctoritatis quae societati praeest, ideoque valet pro tota societate; vel *privata*, seu, *vulgaris*, et sic vocatur, quando innotescit mediis privatis; nempe, ubi argumentis historicis ac criticis demonstratur; et tunc non ad totam societatem spectat, sed ad eos solos qui probationem intelligunt.

Quibus praenotatis, quaestio praesens versari potest: 1° circa Vulgatam editionem, 2° circa textum hebraicum et graecum Scripturae, 3° circa alias versiones.

I. DE AUTHENTICA VULGATAE EDITIONIS

12. Versio latina Bibliae, quae obtinuit in Ecclesia catholica, designari solet sub nomine *Vulgatae editionis*. Duplici constat parte, quoad originem diversa, videlicet: 1° una, quae oritur ex versione jam a primis Ecclesiae temporibus usitatissima, et quae non videtur ab illa differre quam Italicam appellabant; 2° alia, quae oritur ex translatione quam S. Hieronymus operatus est. S. Hieronymus autem eas partes, quas ipsemet non transtulerat, ex veteri editione latina recognovit, ac ubi opus fuit, emendavit; et sic efformata est Vulgata editio. De cujus editionis authenticitatis nullus Catholicorum dubitat, quamvis circa hujus authenticitatis extensionem disputent.

13. Dico 1° : *Editio Vulgata judiciali pollet authenticitate conformitatis*.

Constat 1° *ex solemni iudicio concilii Tridentini*. Sic se habet illud concilium, sess. IV : « Sacrosancta

« Synodus considerans non parum utilitatis accedere
« posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editioni-
« bus, quae circumferuntur, sacrorum Librorum,
« quatenam pro authentica habenda sit innotescat,
« statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata
« editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Eccle-
« sia probata est, in publicis lectionibus, disputationi-
« bus, praedicationibus, ac expositionibus, pro authen-
« tica habeatur, et ut nemo illam rejicere, quovis
« praetextu, audeat vel praesumat. » Cui consonat
conc. Vatic. (Constit. *Dei Filius*, cap. 2) dicens :
« Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri,
« cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem con-
« cilio (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri
« Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis
« suscipiendi sunt. » Certe, declarando in concreto
quatenam sit Scriptura quae sincere continet verbum
Dei, Ecclesia est infallibilis; quia hoc necessarium est
ne Christiani pro verbo Dei verbum hominum acci-
pant. Ergo.

Constat 2^o *universali et ordinario magisterio Ec-
clesiae*. Etenim, post tempora S. Gregorii, caeterae
editiones Bibliorum evanuerunt, atque communiter
praevaluit Vulgata editio, et ita quidem usitata est, ut
omnes, sive Pastores, sive theologi, hanc uti certo
authenticam habeant, et, tum in conciliorum et Ponti-
ficum decretis, tum in confutatione haereseon, tum in
scriptis dogmaticis et polemicis, tum in concionibus,
tum in scholis, textus ex illa editione afferri solebant.
Porro, impossibile est quod Scriptura sic constanter
et universaliter usurpata tanquam sacra, non revera
talis fuisset; tunc enim dicendum esset toto eo tem-

poris intervallo, seu, per multa saecula, Ecclesiam
verbum humanum pro verbo Dei accepisse, et ita a
portis inferi fuisse debellatam.

14. Dico 2^o: *Authentia editionis Vulgatae spectat
saltem res per se revelatas, seu, per se pertinentes
ad aedificationem doctrinae christianae.*

Ad cujus intelligentiam, distinguere juvat in Scrip-
turis duplicem diversum ordinem veritatum. Aliae
enim revelatae sunt *propter se*, aliae *in ordine ad
priors*, scilicet, ob suum cum eis nexum historicum
aut logicum. Ad primum ordinem revocantur quae
revelata sunt de Deo, de fine nostro, de mediis ad
illum assequendum, de regulis morum, et ipsa histo-
riarum et prophetiarum summa; et haec dicuntur res
fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae
pertinentes. Ad alterum ordinem revocantur adjuncta
quaedam historica, geographica, etc... quae ad primae
classis veritates referuntur, v. g. quod virgultum sub
quo dormivit Jonas fuerit hedera, etc.

Textus continentes prioris ordinis veritates vocan-
tur *simpliciter dogmatici*, alii *dogmatici secundum
quid*. Nonnunquam, ad quem ordinem pertineat talis
textus ex obvia lectione statim innotescit; sed quan-
doque recurrendum est ad subsidia hermeneutica, et
praesertim ad consensum Patrum, et ad testimonium
Ecclesiae, si exstat.

Jam vero, inter doctores catholicos, R. P. Vercel-
lone celebris Barnabita, nuper contendit, etiam quoad
textus dogmaticos, non constare de Vulgatae editionis
conformitate cum textu originali. Advertit quippe,
etiam post Conc. Trid., editores Romanos Vulgatae
nonnullas introduxisse correctiones et mutationes in

ipsismet textibus dogmaticis. Itaque, juxta illum, tribuenda est Vulgatae authenticitas quaedam indeterminata, in quantum cum textu originali concordat *substantialiter*, erroresque, qui in ea irrepserunt circa textus dogmaticos, sunt prorsus innocui, quia fidei non opponuntur. Sic v. g. non repugnat dogma in textu quodam Vulgatae aliud esse ac in textu originali correspondente, sed tamen est verum dogma.

Contra quem, caeteri theologi communiter tenent authenticitatem Vulgatae extendi ad omnes omnino textus dogmaticos, id est : 1° nullum esse dogma in Vulgata editione quod contradicat alicui textui dogmatico scripti originalis; 2° in duobus textibus dogmaticis sibi correspondentibus in Vulgata et in originali, non diversum, sed idem dogma exprimi; 3° nullum dogma exprimi in Vulgata quod defuerit in autographo Scriptoris sacri.

Conclusio sic explicata probatur :

1° *Ex fine quem sibi proposuit conc. Trid. definiendo authenticitatem Vulgatae.*

Hunc finem sic declarat : « Sacrosancta Synodus hoc « sibi perpetuo ante oculos proposuit, ut, sublatis « erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia con- « servetur, quod Dominus noster Jesus Christus pro- « prio ore primum promulgavit, deinde per Apostolos, « tanquam fontem omnis salutaris veritatis et morum « disciplinae, omni creaturae praedicari jussit... » In fine autem decreti de canone Librorum haec habet : « Omnes itaque intelligant... quibus potissimum testi- « moniis ac praesidiis, in confirmandis dogmatibus et « instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura. » Vult itaque conc. Trid., ut testimonia ex Vulgata editione

desumpta, efficaciter prosint ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores. Atqui ad id efficaciter non prodescent, si, vel aliquid dicerent scripto originali contradicens, vel aliquod dogma exprimerent diversum a dogmate textus originalis correspondentis, vel etiam enuntiarent veritatem fidei et morum in autographo non contentam. Ergo necesse est ut in textibus saltem dogmaticis Vulgata editio concordet cum originali.

2° *Ex ejusdem concilii Trid. definitione jam allata, n. 10.* « Si quis Libros ipsos, cum omnibus suis « partibus, prout in Ecclesia catholica legi consue- « verunt et in veteri Vulgata editione habentur, pro « sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. » Ergo omnes Libri novi et veteris Testamenti, *prout in veteri Vulgata editione habentur*, sunt sacri et canonici, *cum omnibus suis partibus*; quae partes referuntur saltem ad textus simpliciter dogmaticos.

Argumento ex illa definitione Tridentina deducto objicit Vercellone, concilium per has voces : *cum omnibus suis partibus*, intellexisse solummodo quasdam partes deuterocanonicas Librorum Danielis, Esther et Evangeliorum de quibus controversia erat cum Protestantibus. At talis evasio non valet. Concedimus equidem, ad praedictas voces definitioni suae inserendas, concilium adductum fuisse errore Protestantium; sed addendum est eadem occasione occurrere voluisse iis omnibus qui, sive partes deuterocanonicas supra designatas, sive alias quascumque Librorum sacrorum partes ex Scripturis sanctis expungere conarentur. Et revera, enumeratis omnibus Vulgatae

editionis libris, decernit eos omnes *cum omnibus suis partibus* ut canonicos suscipiendos esse.

Aliunde, si legitima foret illa restrictio, sequeretur concilium definivisse partes deutero-canonicas, de quibus controversia erat cum Protestantibus, esse sacras et canonicas; caeteris vero, de quibus Protestantes cum Catholicis consentiebant, non competere nisi authenticam illam indeterminatam atque substantialem de qua Vercellone; et ideo ex partibus illis deutero-canonicis proferri posse argumentum tanquam ex verbo divino; ex caeteris autem non posse. Hoc autem prorsus incredibile videtur.

Neque etiam legitime objiciuntur correctiones factae post conc. Trid. in textibus etiam simpliciter dogmaticis editionis Vulgatae. Ex his enim correctionibus, id unum sequitur: eadem dogmata alio modo fuisse expressa in Vulgata ac in autographo. Nunquam autem correctores invenerunt, aut aliquid dogma fuisse in Vulgata quod deerat in autographo, aut dogma in textu Vulgatae expressum, aliud esse a dogmate in textu originali correspondente contento, multo minus inter utrumque textum dogmaticum adesse contradictionem. Quibus addemus, non repugnare aliquid dogma in originali textu contentum excidisse in Vulgata. Sed dogma illud ex aliis fontibus Traditionis erui poterit; et ideo fides non periclitabitur.

Demum, animadvertendum est concilium loqui de Libris eorumque partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione habentur*, etc. Proinde, si aliqua probabilis dubitatio oriretur, an talis talis textus in editione Vulgata, *prout nunc existit*, contentus, non fuerit, decursu tem-

porum, in textu Vulgatae inadvertenter inchoo ei non sicut quidam dicunt de famoso textu: *Tres sunt definitiones testimonium dant, etc.* (I ep. Joan., v, 7, 8), definitione contendimus dubitantes de ejus canonicitate aut etiam Cleam negantes, subjici anathemati Tridentino. Idem; nec fortiori dicendum de textibus, quos constat non fuisse lectos in Ecclesia veluti partes proprie dictas Libri canonici; eo quod per modum glossae primum appositi extra textum, huic deinde incorporati fuerint, uti advertunt interpretes de nonnullis textibus Libri Ecclesiastici.

15. Dico 3^o: *Editio Vulgata non gaudet judiciali authentica conformitatis, in iis quae, per se, non pertinent ad aedificationem doctrinae christianae.*

Ita communius contra quosdam opinantes authenticam Vulgatae esse absolutam et omnimodam, ita ut, ne in minimis quidem circumstantiis et levissimis rebus, ab autographo discedat.

Prob. 1^o ex conciliis Tridentino et Vaticano. Illa enim authenticam *judicialis* ex publica et solemnii concilii Trid. sententia potissimum desumeretur. Atqui concilii Tridentini definitio ad textus *dogmaticos secundum quid* se non extendit. Extensio quippe definitionis ex ejus fine est mensuranda. At finis conc. Trid., juxta ipsum, est ut *puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur*, ad quod certe sufficit conformitas in textibus *simpliciter dogmaticis*.

Praeterea, idem concilium, agens de interpretatione Scripturae, ait: « Ad coercenda petulantia in-
« genia, decernit (synodus) ut nemo suae prudentiae
« innixus, in rebus fidei et morum ad aedificatio-
« nem doctrinae pertinentium, sacram Scripturam

editionis lib^{er} sensus contorquens, contra sensum quem *partibus* tenet et tenet sancta mater Ecclesia, aut contra

Aliu^m animem consensum Patrum Scripturam sacram concilii interpretari audeat. »

quibus Concilium Vaticanum (Constit. *Dei Filius*, sess. III, sac^{rae} ap. 2) de hoc Tridentino decreto si loquitur : « Nos t^{er} »

« idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse
« declaramus, ut *in rebus fidei et morum, ad aedi-*
« *ficationem doctrinae christianae pertinentium,*
« is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit,
« quem tenuerit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus
« est judicare de vero sensu et interpretatione Scrip-
« turarum sanctarum. »

Atqui, ut praecaveantur pravae interpretationes Scripturae in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, certo sufficit ut definiatur authenticitas Vulgatae in hujusmodi rebus.

Prob. 2^o *auctoritate Patrum.*

Nonnulli enim Patres defectum authenticitatis in versione Vulgata notaverunt, advertendo plura in ea minus recte posita esse, uti S. Hilarius (in Ps. 108, 86), S. Hieronymus (in Job., iv, 5), et alii. S. Aug. (Cont. Faustum, l. 2, c. 5) universim statuit hosce defectus dari posse : « si quid velut absurdum noverit, « non licet dicere : auctor hujus libri non tenuit « veritatem; sed aut codex mendosus est, aut inter- « pres erravit, aut tu non intelligis. »

Prob. 3^o *emendationibus quas Vulgata editio accepit.*

Conc. enim Trid., asserta authenticitas Vulgatae, Romano Pontifici curam commisit hanc emendandi. Existimavit itaque hanc editionem, prout tunc erat

in usu, locum emendationibus praebere; ergo ei non tribuit authenticitatem absolutam, nisi dicas ejus definitionem fuisse quasi prophetiam de futura editione post emendationes factas. — Hinc Sixtus V et Clemens VIII huic emendationi manum admoverunt: nec est improbable illam editionem hodie posse adhuc emendari.

Dixi : *non gaudet judiciali authenticitate.* At certe potest gaudere *privata*; tuncque si semel constiterit de alicujus textus per se non dogmatici authenticitate, jam ille divinam prorsus habet auctoritatem.

II. DE AUTHENTICITATE TEXTUS HEBRAICI ET GRAECI

16. 1^o Authenticitas editionis Vulgatae, dogmatice declarata, secum infert authenticitatem textus hebraici et graeci, in exemplaribus ex quibus confecta est Vulgata, ut patet.

2^o Nulla vero extat declaratio judicialis *expressa* Ecclesiae, circa authenticitatem actualem textus hebraici aut graeci.

3^o Non caret tamen aliqua authenticitate ex usu publico diuturnoque comprobata; quamvis Ecclesia non adhibuerit eandem, ac pro Vulgata editione, diligentiam ad utriusque textus conformitatem servandam, praesertim cum jam, a multo tempore, eorum usus non ita publicus et communis evaserit.

4^o Demum, Ecclesia, licet nihil expresse declaraverit circa eorum authenticitatem, nihil tamen eorum auctoritati abstulit; sed haec auctoritas mansit qualis erat ante concilium Trid. Itaque, in interpretanda Scriptura, optime licet ad fontes hebraicos et graecos recurrere; videlicet : 1^o quando in nostris codicibus

videtur esse error librariorum; 2º quando latini codices ita variant, ut non possit statui quae sit vera Vulgatae lectio; 3º quando verbum aut sententia in latino est anceps; 4º quando opus est energiam ac proprietatem vocabulorum intelligere.

III. DE AUTHENTIA ALIARUM VERSIONUM PRAETER
SUPRA DICTAS

17. 1º Conc. Trid. declaravit editionem Vulgatam habendam esse authenticam *ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur*. Est igitur his omnibus editionibus *latinis* praefenda. Ast, utrum illae sint habendae tanquam textui originali conformes aut non conformes? nihil dixit; ergo relinquuntur in sua auctoritate qua tempore concilii gaudebant.

2º De aliis autem quibuscumque versionibus, nihil omnino decretum est quoad authenticam. Attamen, nonnullae versiones sunt in publico usu Ecclesiae, scilicet: Antihieronymiana, Syra, Armena, Coptica. Quamdiu sunt in usu publico, ex illo usu hauriunt aliquam authenticam, ita ut iudicandum sit eas nullum in fide et moribus errorem perniciosum continere; secus, ab Ecclesia reprobarentur. Sed haec authenticam non est tanta quanta editionis Vulgatae; et, si cessarent esse in usu publico, jam deesset vadimonium contra errorum introductionem.

De versionibus vero in lingua vulgari, latae fuerunt, ad pericula fidei praecavenda, nonnullae regulae, quas videre est apud canonistas.

QUAESTIO Vª

Quotuplex distinguatur sacrae Scripturae sensus?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, nº 376... 384. — Vigouroux : *Manuel biblique*, t. I., nº 162... 169.)

18. Resp. Triplex distinguitur : litteralis, mysticus, seu spiritualis, et accommodatitius.

1º Sensus **litteralis** ille est quem verba immediate significant. Verba autem, prout immediate aliquid significant, vel sumuntur secundum propriam et grammaticalem significationem, et tunc dicitur sensus proprius : v. g. *Christus ascendit in coelum*; vel sumuntur metaphorice, id est : a propria in alienam significationem transferuntur, et tunc dicitur sensus *figuratus, seu metaphoricus*; v. g. *Christus sedet ad dexteram Patris*; non enim proprie sedet Christus, neque Pater habet dexteram; sed haec, verba significant Christum regnare, et regnum Patris possidere.

2º Sensus **mysticus, seu spiritualis**, ille est quem verba mediate significant, quia inhaeret non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis. Res quae sumuntur ad aliquid aliud significandum dicuntur etiam *typi*; res vero per eas significatae dicuntur *antitypi*; et ideo sensus mysticus nonnumquam vocatur *typicus*.

Sensus mysticus triplex est : allegoricus, tropologicus et anagogicus.

a) Est *allegoricus*, quando refertur ad Christum aut ad Ecclesiam. Sic, v. g. litteraliter verum est Abraham habuisse duas uxores : Sara et Agar, duosque filios : Isaac et Ismael. At, ut ipsemet Apostolus docet (Gal., IV), per has duas uxores, Deus voluit significare